

U i
4819



37
33
JEREMIAE ARNOLDI,

Züllichienſis, Medicin. L.

MEMORABILIA

De

IMPOTENTIA
VIRILI,

cum Naturali, tum ex Fascinatione
Proveniente, Ejusdem Averſione, Venerisq; Exstimulatione, vel Prohibitione in utroq; Sexu,
ut & de Philtris :

Edita Ao. ætatis ſuæ 24. τῆς τῆς λόγος ἐνανθρωπήσεως
M DC XCIV.

Menſe Februario.



CROSNÆ, Literis MICHAELIS Schwarz.

U. 4819

VIRIS

Atq;

DOMINIS,

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,
& Prudentissimis,

CONSULIBUS ac
SENATORIBUS

Reipublicæ Züllichienfis,

Dn. & Fautoribus suis honorandis,

Hoc, quicquid est paginarum, Sacrum
esse voluit



L. Jeremias Arnoldi.



AD LECTOREM.

PRodit hicce partus in gratiam eorum, qui cum uxoribus suis venerem exercere moderatè cupiunt. Cave tamen, ejus abusu morbos tibi contrahas atrocissimos. Nam inter impedimenta longæ vitæ primum locum obtinet Venus immodica. Moderata quidem concessa est: immoderata autem minimè. Quoniam moderata alleviat: immoderata contra deturbat corpus. Non enim inter illa quinque ultimum sibi locum vendicat, quæ præcipuam vim exhilarandi animos habent, & sunt: Verbum DEI: Bona Conscientia: Uxor prudens: Musica & dulce Vinum. Verumenimvero nimia Venus debilitat pedes, enervatque vires. Hinc nocet Arthriticis ac Podagricis, inprimis si statim post partum coitus faciuntur. Siquidem eo ipso materia tertiæ digestionis subtilissima, quæ in nutritionem secedere debebat totius corporis membris potissimum externis detrahitur, unde sensim atque sensim debiliora redduntur, & deinceps doloribus fixis, qui



nomine Catharorum insigniuntur, resistere ne-
 queunt. Coeterum vid. Ranzov. de conservand.
 Valetud. pag. 60. ut & Gratarol. de Conserv. Va-
 letud. libr. p. 187. & seqvent. Ubi verum atque
 legitimum usum rei veneræ justo tempore
 exercitata, & damnum injusto tempore
 proveniens copiosè
 invenies.

B.C.D.



✻ s. ✻
B. C. D.

Prolegomena.

ANimus mihi est, theoremata mea semper brevi quasi tabula depingere, propter imbecillitatem humani ingenii auctoris æquè ac benevoli Lectoris. Hunc modum spero nullus eruditorum improbabit. Quandoquidem ea est mortalium conditio, ut nihil in rebus humanis occurrat, quod in sui conceptione sit perfectum. Nec igitur quicquam in lucem publicam ita prodiit, ut omnibus numeris absolutum dici mereretur, vel ab aliis statim cognitum fuerit.

Quæ verò de Prohibitione veneris illicita immiscui, non ad imitationem scripta sunt, quod peccaminosum esset. Nam & in S. Roman. Imper. Judic. Capital. Processu Supplicium tale committentibus prostat: Sed ut omnium oculis Naturæ Arcana obversari viderentur.

Subjungo quoque; velut in Parenthesi Experimentum Plinii, qui ad præfagiendum de Eventu alicujus ægrotantis præcipit, verbenam ab eo gestari debere, qui invisit; interrogandumque; ecquid valeat? Qui si rectè respondebit, futuræ Sanitatis Augurium esse, scribit; si contra, mortis.

A 3

In

In quo quidem vires hæc recumbere, judicent illi, qui occulta philosophica non temnunt. Legitur enim apud Cornel. Agrip. de verbenaca, quòd febribus tertianis medeatur, si à tertio, quartanis, si à quarto geniculo incisa fuerit.

Unde hæc fiant, causam certè habent, quæ quantum assequi possum, est ipsa varia variorum numerorum ad se invicem Proportio. Nullo modo autem hic intenditur Numerus vocalis, sensibilis & materialis, sed formalis ratio, quæ est in numero. Scilicet Pythagorici & Academici & Augustinus noster intendunt ad proportionem ex illo resultantem, quem numerum, naturalem, formalem, & rationalem vocant. Per hunc varia scibilia eruuntur, ubi alia via non habetur. Huc explica, quæ de herba ista D. Schroeder. annotavit Thesaur. Pharmacolog. l. 4. p. 298.

Jam reputo, Hal. Sax. conversatione de Mons. Lafleur [des Directeurs der Academiæ dalelbt] me quondam edoctum fuisse, se Verbena reserare Claustra posse.

Ex præmissis L. B. colligere facile poterit, quàm arduum sit & accuratum esse debeat Studium Medicum & Physicum.

Para-



§. I.

De GENITALIBUS VIRORUM.

Antequam realem libelli hujus tractationem exordiar, præliminariter quædam de Partibus utriusque Sexus genitalibus præfari lubet, dum remediis ad Conservationem Speciei s. Generationem humanam facientibus occupati sumus. In quo negotio cum binas concurrere causas voluerit CREATOR Optimus, Marem puta & Fœminam; antea Subiecta Curationis examinaturus sum.

In viro Testes cum annexis Parastatis occurrunt, quæ à Sangvine per arterias spermaticas affluente Semen præparant, quod dein tam per Epidydimem solum, quàm per vesiculas seminales poros prostatarum subiens, mediante urethra ejaculatur.

Vir igitur cum uxore congressurus Penem erigat, cujus gratia circa radicem Musculos sortitur ab ossibus ischiæ venientes, Directores; à sphinctere ani Dilatores, meritò appellatos à Joh. van Horne *Mix. 9x. p. 107.* Cum etiam virilis membri pars interior instar Arundinis, indicæ sit spongiosa, sic fieri aliter non poterit, quàm ut affuso sanguine arterioso spirituq; vitali crassescat, elongetur, roburq; debitum acquirat virile Membrum, Musculis insuper corpora nervosa cum venis comprimendo versus os pubis, sanguinem stagnare facientibus.

Sicuti

Sicuti postea modus cœundi est, ut idipsum sese infinuet in Vaginam Vteri, & quidem non sine voluptuosa titillatione genitalium utrinq; satis sensorum; ita Conceptio ipsa consistit in unione utriusq; Parentis spirituum seminalium, per quos junctis viribus Spiritus immaterialis aggreditur generationis negotium. Qualis interim auræ seminalis Idea prævalens; talis quoq; Fœtus. Nimirum si idea maris validior, Masculus: si foeminae, Foemella nascitur.

Ex hac theoria elici haud difficulter posset artificium pro lubitu, Deo non reluctante, generandi masculum aut foemellam, nisi me aliquis atheum argueret. Quod fieret, si maritus in congressu foecundo talem se præstaret, ut amoris dominium obtineret: vel contra uxorem tanto afficeret cœundi desiderio, ut hinc ab ipsa foetus signaretur. Sed. vid. Proph. Es. c. 44. v. 24.

§. II.

De UTERO.

Illa pars Speciei Propagationi necessario inservit. Ergo una è principalissimis est. Corporis organa, quæ ad hanc classem pertinent, licet alia sint in viro, alia in muliere: nihilominus tamen in ambobus quædam reperiuntur communia, ut vasa spermatica & testes. Equidem inter se non communicant, nisi coitu, penis & uterus, cum partibus annexis. Hæc ratione officii, quod foetui, præstat, germanicè Mutter/ & à pariendo Bär - vel Gebärmutter: græcè μήτρα s. ὑστέρα (unde passio hysterica) latinè Matrix, Uterus, Vulva, dicitur. Vas

Vas est pro virili semine recipiendo, quod omnis mulier, quemadmodum unusquisque penem suum, purum debet servare, juxta monitum S. Scripturæ; in quo inchoatur foetus formatio, atque gestatur, donec instante partus hora, Gratia DEI, ad egressum se disponat Embryo.

Sita est in infimo Ventre, recta sub Umbilico, a postica Intestino recto, a parte antica Vesicæ urinariæ vicina. Ut meo quidem judicio videat superbus, ex impuro loco natum esse cum Conceptus sit ac Formatus inter stercora & urinas.

Coeterum nunc relicta aliorum divisione uteri, a me saltem in duas dispescitur partes. Quarum prima est tota illa Vesicæ adinstar Compages, qua semen concipitur, retinetur, & a Provida matre natura ita fovetur, ut non corruptum inferviat Humanæ generis propagationi.

Altera dicitur Collum vel Cervix matricis, der Mutter Hals oder Schlund, tendit usque dum labiis suis atque præputiis contra inclementiam aëris exterius tegitur. In medio collo subtilissima & vasculosa invenitur Membrana, quæ se habet velut minimum atque tenerrimum rete, dicitur Hymen, sive Panniculus vaginalis, die Jungfrau-schafft. Quando enim adhuc illæsa est, illibatae Virginitatis signum præbet infallibile. Unde Versus.

Est magnum crimen corrumpere virginis hymen.

Illud collum ab utroque latere duo fortiora obtinet Ligamenta, Cornua appellantur, quæ uterum firmant, ac spinæ dorsi nectunt. In his utrinque duo occurrunt Testiculi, qui tempore coitus se aperientes muliebri semine cum virili & matrice communicant.

B

Accipit

Accipit quoque uterus aliquot venas à magna, per
 quas foetus nutritur, nec non sanguis prorumpit in Fluxu
 menstruo. Similiter ad matricem duæ venæ prodeunt à
 Mammis, pro sanguine ex eadem revchendo, ut ab his ela-
 boratior redditus Sanguis in lac vertatur infanti postea gra-
 tissimum.

§. III.

De Impotentia virili, cum Naturali, tum ex
 Fascinatione proveniente.

Inter illas adversitates, quæ conjugium lætum ac dulce in-
 acerbum & mœstum convertere possunt, hic morbus pri-
 mas ducit. Querendi enim thalami sociis dat occasionem
 de viduitate viva, dum jucundissimo matrimoniali lusu ca-
 rentes frigidas, summeque molestas ducere coguntur no-
 ctes. Maritos a, causæ principali tantarum molestiarum
 infensos, cum Nasone ingemiscere facit:

Tu dominam fallis, pectus deprensus inermis

Tristiacum magno damna pudore tui.

Est quoque causa illa in propatulo, cum in antecedentibus
 sit, penem cum utero non nisi coitu communicare, videli-
 cet hastæ virilis langvor, quæ non ut debet valida ac rigi-
 da est, neque magis movetur

Quam lenta salices lassove papavere collus.

Causam proinde sine qua non sive culpam hujus langvoris
 adscribo Spiritibus, debite ad has partes, imprimis muscu-
 los erectores, non influentibus. Quidni? Etiam si non ha-
 beat.

beat verum influxum in Esse Effectus, Effectus tamen sine
ca esse vel fieri nequit.

Nihil hic interest, num ille vitiosus motus sit à spiriti-
bus modò deficientibus, modò idea aliqua, liceat sic loqui,
diffidenti caracterisatis, modò magica arte ligatis; sive sit
à fortitudine Expulsivæ, aut à debilitate Retentivæ; an verò
organorum Inhabilitati debeat.

Quoad organorum inhabilitatem existimo, infantum
ac senum positivum esse Accidens: in his, quatenus fibræ
nervæ ex senio nimium rigidæ distendi ac inflari se à spiri-
tibus influentibus non patiuntur: in illis, quatenus molli-
ties nimia repugnat, & fortitudine expulsiva adhuc carent.

Ita definitur à Pathologicis Impotentia virilis, quod
sit defectus, ob quem penis erigi nequeat.

Quantum ad imbecillitatem virium, qua pariter fri-
get Venus; non modò labores nimii, sed bachi etiam ac
cereris defectus, animiq; pathemata graviora, in aliis ean-
dem comproducunt impotentiam.

Necnon in Idea Spirituum animalium diffidente
quandoq; culpæ maximam partem hære, solum cuiuspiam
videri posset incongruè accusata, præsertim cum apud auto-
res idem testificatum non legatur. De eo nil curo. Est
non nunquam à sola Diffidentia virium ac laboris, qua viri
ex naturali Pusillanimitate laborare videntur. Lipsiæ ce-
leberrimus D. Lang. circa hanc materiam in Collegiis suis
dicere consuevit, exemplum possem allegare ejusmodi
sponsi pusillanimi ni nomini parcedū esset, qui ex sola dif-
fidentia virium pulcherrimam suam sponsam per aliquot
septimanas illibatam linquebat, donec adhortationibus a-

B 2

micorum

mīcorum erectus, ex vulgatisſimis ſtimulantibus propina-
tis ſemel animum ſumeret, & deinceps virum ſe præſtaret
egregium.

Ego rationem ſubnecto talis puſillanimi. Nempe
primò meram poſtulat explicationem moralem, ita, ut
præſupponatur, quod Magnanimitas ſ. μεγαλοψυχία in ex-
ceſſu ſit Superbia ſ. χαιρότης, in defectu autem Puſillani-
mitas atq; μικροψυχία. Hæc vitium eſt, per quod iis hono-
ribus nos indignos judicamus, qui tamen jure nobis debentur.
Qui hoc vitio laborant, in ſe ipſos & in ipſam virtutem
quodammodo ſunt injuſti ſpoliantes ſe honoribus, qui pro-
pter virtutem iis debentur. Se ipſos quoq; non nulli red-
dunt ſuſpectos, quòd ſceleris alicujus ſibi conſcii honores
dignos averſentur.

E. V. C. in tali homine vitium iſtud primario obti-
nere. Huic cum ſe associat debilis Impreſſio matrimonia-
lis ex diffidentia virium, moroſus erga uxorem ſuam eva-
dit. Non eſt alia ratio in natura, quàm timida virtus ima-
ginativa, à motu ſpirituum retrogrado orta. Contra ſi
Imaginatio eſſet fortiſſima, & exterminata, cum motu ſpi-
rituum inclinatorio, certè faceret multa: ascenderet per
inacceſſa, ut ſibi antea falſò perſuaſum habebat. Atq; hoc
datum eſt omnibus, quorum virtus cogitativa ſic emergere
poſteſt. Variatur tamen in diverſis hominibus, in fortitu-
dine & debilitate, & augetur & minuitur ſecundum exerci-
tium ac uſum, per quæ de potentia trahitur in actum.

Porro in hoc negotio ita procedo, me non ſemper ſo-
lam Diffidentiam accuſare: quin potius tam Ligatione ſ.
Magia naturali, quàm Satanæ ope ſæpius effaſcinari mem-
bra.

bra genitalia, cum aliis autoribus existimo. Satis superq; hoc liquet ex usu, quem hinc inde conspiciamus, istiusmodi maritos cum legitima conjugē nullo modo, cum scortis verò feliciter rem habere posse.

Interim cujusmodi ligationes sint & quibus modis soleant fieri, hujus loci non est explicare. Sufficit saltim aliquot veneficiorum genera indicasse. Videntur apud Magos ligationes hominum in amorem vel in odium, in ægritudinem & Sanitatem, & ejusmodi. Quid dicam de ligatione furum & latronum, ut in aliquo loco furari non possint. Item ligantur mercatores, ut in aliquo loco emere vel vendere nequeant: ligatur exercitus, ut metam aliquam transire non possit. Simili modo datur ligatio canum, ne latent: avium & ferarum, ut volare, vel fugere nequeant, & simil.

§. IV.

De Impotentia Virilis aversione, venenisq; exstimulatione.

Cognita sic causa morbifica, talis Cura instituatur. De Cura tamen impotentia, quæ ex organorum inhabilitate est, statim notanter dico, quod frustra à Medicis exigatur. Amat namq; natura ordinem, & stato tantum tempore habiles voluit juvenes ad hæc gaudia. Vult quoq; ab hoc negotio quiescant senes, mortemque potius cogitent.

B. 3

Quod

Quod ad influxum spirituum denegatum attinet, promovendus ille erit per acria stimulantia, semen sinap. eruc. cubeb. Cardamom. utriusq; : rad. & in specie essent. Satyrion. &c. hb. hyssop. Serpill. lavendul. urtic maj. rut. puleg. Salv. rosmarin. nasturt. aquat. beccabung. tam fol. oblong. quàm rot. flor. tunic. anth. Zingib. in Ind. cond. spirit. formicar. acid. cum ol. rad. chamæleont. si quis hoc rite præparare novit.

Electuarium diasatyr. D. Mesuæ ad magnitudinem nuc. castan. manè & vesperi cum aqv. cinnamom. in substantia c. saccharo sumptum, valde conducit veneri, multiplicatq; coitum, confortando totam hominis naturam, quæ Proprietas est, quæ Essentia nostra ad diversos inclinatur motus. Pro hoc scopo nec temnenda est sequens mixtura:

Recip. conserv. fl. lavend.

anth. an. drach. sex

cond. nuc. jugland.

F Zingib. in Ind.

satyr. l. eryng. a drach. tres

pulv. sem. fœnicul. drach. duas

cinnamom. drach. un. & dimid.

cardamom. l. cubebar.

caryophyll. an. drach. un.

M. F. c. syrup. stœchad. arab. Electuarium.

Specificè hic valet essent. satyrion. Siquidem moderatè calefaciendo corpus valde confortat. Virtutes hujus radicis investigamus per viam sumptam à Similitudine. Neque

que modò ab elementari natura petimus illas Proprietates; sed cœlitus insitas esse, liberius edissero. Rationi vix notæ fiunt, nisi per experientiam & conjecturam. Quandoquidem membra genitalia exteriora miro naturæ lusu repræsentare videtur. Quare non immeritò naturam roborare creditur. Radix à Psevd. rubra vocatur mumia, persuasum sibi habente, illi cum homine sympathiam esse. Unde quæso iudicium sumere debes, qui in hoc studio operari affectas, quòd unaquæq; res movet & convertit ad suum simile, non tam in proprietate sive virtute occulta, quàm in qualitate s. virtute manifesta elementalì.

Ad coitum quoq; marcentes evocat Decoct. vinos. fol. urtic. maj. item hb. hyssop. serpill. si cum carne aut piscibus coquantur. Similiter miranda virtus venerca latet in semine sinap. alb. nec minus refocillat rad. imperator. in vino cocta & hausta.

Refert Joh. Wittich, libello Præservator Sanitatis dicto p. 61 quod Testiculi gallorum (die Geilen von Kaphanen) cum aromatibus & vino cocti, naturam confortent & venerem. Optimi enim succi nutrimentum præbent. Et qui vult fortiter coitus tentare, utatur cibo tali, nempe bulbis s. testiculis gallorum. Nam &

*Cum sit anus conjux, cum sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.*

Pulvis aridi Genitalis tauri omnino ruffi, idoneis medicamentis commixtus, languidam ac sopitam venerem in viris excitat.

Levin

Levin Lemnius commendat Lapillum caponum, quarto anno post castrationem in ventriculo repertum. Magnitudinem fabæ adæquare debet. Color crystallinus est. Si à viris gestatur, illis apud mulieres favorem conciliat, augetq; virile robur.

Si Testiculi anserum, mensibus sedatis, ilico à muliere comedantur, non solum ad excitandam libidinem conferre dicuntur, sed & ad sobolem procreandam, meminit Anton. Mizaldus p. 175.

Idem quoq; de Utero leporis lectum est: testatur Rhaf. & Albert.

Iterum Mizald. scribit: Accipiat quis Hepar parvi porci & Testiculos: desiccet ac redigat in pulverem: det in potum viro & mulieri. Si mas antea fuit impotens ad generandum, generabit: & mulier, quæ non potuit concipere, concipiet.

Oleum ad erectionem Virgæ.

Recipe formicarum, habentium alas, unc. quatuor, ol. Sambuc. unc. septem. Stent in vase vitreo bene clauso ad solem per decem dies. Postea adde cumin, caryophyll. piper. galang. pyrethr. cost. cyper. an. drach. un. Pulveriscentur & bulliant in succo majoran. unc. quatuor & vini unc. septem ad consumptionem medietatis: fortius colentur & cum formicis, misceantur, iterumq; bulliant. Colentur, Inungatur pecten & virga. Pulcrum est certè.

Ungventum ad coitum.

Recip. succ. nepeth. calaminth. sqvill. serpentar. urtic. maj. pyrethr. an. unc. duas; ol. d. euphorb. unc. i. sambuc. drach.

drach. 4. Bulliant omnia simul usq; ad consumptionem
medietatis: & non coletur: sed cum cera q. s. fiat Un-
gventum. Præputium & tota virga ungetur.

Elegans Mixtura.

Rec. formic. min. quæ acidum Sapiunt, manipul. 2. l.
3. Pone in vitrum. Affunde spirit. vin. summè dephlegmati
libr. un. Digere loco calido dies 14. Tandem fiat Destillatio
è. M. B. Huic spiritui adde tantillum ol. cinnamom. & cum
pondere æquali ol. rad. chamæleont. Maximum confor-
tativum est. Manè & vespericum vino sumatur.

Præstantissimum Electuarium D. Mylii,
Medici Bernburgensis.

R. conserv. borragin.

bugloss.

rosar. an. unc. un. & dimid.

anth.

pinear.

pistac. a. unc. dimid.

rad. satyr. palm. Christi pulveris. an. unc. i.

vel locò illorum

confect. diasatyr. unc. 2.

pulver. genital. cerv.

taur. omnino ruff.

an unc. dimid.

spec. diamb. diamosch. an. drach. un.

Syrup. cort. citr. c. mosch. q. s.

C

F. Mix-

F. MIXTURA.

Venerem stimulat, eamq; certa de causa cessantem,
haud segniter restituit.

**Electuarium expertum & utile ad restauran-
dam Virtutem animale[m] & vitalem.**

R. pulpæ perdicis bene coctæ libram dimidiam, beem
utiriusq; fl. borrag. bugloss. Zedoar. an. drach. dimid. croc.
scrup. i. hyacinth. smaragd. sapphir. oss. d. cord. cerv. an.
scrup. duos: limatur. aur. drach. dimid. fol. aur. fin. no. X.
(alii V.) margarit. orient. drach. un. pinear. recent. unc. 2.
per unum diem infusorum in vino dulci & unc. duabus vini
cydoniorum c. sacchar. q. s. Fiat in forma liquida. Da in
aurora un. postea desuper parum aquæ buglossæ.

Ut concipiatur puer

Mulier in actu matrimoniali erigat dextrum coxus, ut
sperma viri in partem dextram cadat: & vir etiam illuc diri-
gat virgam. Hippocrat. svadet, ut ante congressum vir sini-
strum testiculum liget, quo totum semen ad dextrum con-
fluat. Partes enim dextræ sunt robustiores sinistris. Sva-
dendum etiam, ut mulier post coitum in dextrum latus cor-
pus declinet, & si potest, sic dormiat. Nam in dextro uteri
fieri mares, verisimile est: adhærebit semen hujus lateris
acetabulis, & suget de vena cava materiam, ex qua foetum ef-
formabit. Hæc sano sensu accipienda sunt. Illudq; sem-
per mente teneatur, Naturam Deo esse subordinatam. Mu-
lieres igitur quæ dormire consueverunt supra dextrum la-
tus, vix foemineam sobolem pariunt: ut scribit Rhas. Sed
huc confer, quæ superius hac de materia dicta sunt.

Coitum prohibere ac sistere,

Semen acetos. à puero collectum & ab illo gestatum, valde mederi Pollutionibus nocturnis, atq; appetitui, venereo resistere, dicunt.

Ut homo semper sit Eunuchus.

Accipe ex Vermiculo, quod in aestate noctu lucet, & da ei bibere: Albert, M.

Item.

Confidera locum, ubi urinam immittit; in eundem locum novum AC intende: quamdiu ibi AC remanet nunquam coitum facit.

Ut mulier coitum non appetat.

Si tauri omnino ruffi aridum genitale in pulverem redigatur, & ex eo dosis mulieri in vino vel jusculo quopiam propinetur, fastidium coitus illi adferri creditur.

Ut non concipiat.

Mulier post actum venereum piper pulverisatum cum aceto bibit, depellit foetum.

Flos & Cortex de salicibus.

Eolia Sabinæ bibita cum vino aut cerevisia, expellunt foetum.

Mulier Pimpinellam apud se gerens non concipiet.

Cum mulier bibit Salviam coctam per tres dies, tunc non concipiet in anno uno.

Comedat Cepam, & nunquam concipiet.

Quæ bibit Urinam arietis, nunquam concipiet.

Si Stercus leporis suspendatur super mulierem, non

concipiet, donec permaneat super ipsam : Albert. M. de mirabilibus mundi.

Radix filicis trita & in potu dada, tollit impragnationem.

Mentha viridis tempore menstrui comesta, conceptioni resistit : nec sinit mulieres concipere eo die, quo comeditur à muliere. Arnoldus de Villanova l. 2. c. 6. Breviarii sui.

Mulier Ranam accipiens, & os ejus aperiens, terq; ibi exspuens, non concipiet in illo anno. Idem de physicis Ligaturis.

NB. Diese Stücke sind nicht der Meynung hergesetzt, das man sie brauchen sol, vvelches eine grosse Sünde ist, und in des heiligen Römischen Reichs Hals-Gerichts Ordnung bey Straffe des Schwerts und Ertränckens verboten; Sondern nur zu dem Ende, das man vvissten möge, vvas die Natur vermag.

Pulvis exiccans sperma.

R. Cumin. carv. organ. menth. calaminth. rut. an. drach. un. zingib. cinnamom. an. dr. ʒ. amm. sem. agn. cast. an. drach. un. & dimid. M. F. pulvis. Detur manè & vesperi drach. un. in vino.

Pulvis ad idem.

R. Sem. agn. cast. unc. dimid. menthastr. rut. cumin. rad. cyper. fl. balauft. amm. an. drach. un. M. F. P.

§. VI.

Falcinationem in Impotentia virili
avertentia.

SI per nuptialem Annulum Sponsus mingat, à fascino & veneris impotentia solvetur, qua à maleficis ligatus est. Autores sunt Nicolaus & Arnoldus Villanovanus Medici.

Ex libro Wilhelmi Löseri.

Rec. vivum Lucium, & aperi os ejus: minge in illud: projice in fluentem. Juvat. Multoties probatum fuit in Brandenb. Marchia.

Item.

Cum nuptiæ celebrantur, sponsus manè corpus nudum Femorali, quo in balneo usus est, circumdet, desuperque induat indusium & vestimenta, sic ea die incessurus. Vel primus depromat cerevisiam, ad nuptias destinatam, fervetque penes se oblongum primi istius dolii operculum (den Zapfen des ersten Fasses, vvelches er selber angezapfet.) Ex libro Adam. Nilli, Chymici.

Aliud ex Joh. Löser. Artzney-
Büchlein.

Vir sponsæ Indusium sumat, & inferius præscindat Fimbriam: vade ante solis ortum ad septum quoddam: evellatur palus: ejus summitati in rotundum applicetur fimbria. Postea urina in scrobiculum, quem ille occupabat, immissa, fac superior pali pars fiat inferior, & ita in pristinum locum, ea parte qua fimbria est, restituatur. Probatum est.

C;

Con

**Contra Fascinationem in genere
ex eodem libello.**

Cape vesicam bovis urinariam, urina tua repletam :
probè munitam illam serva in fumario. Veniet homo, à
quo ligatus fuisti, illam è fumo surrepturus. Cum tamdiu
urinam retinere nequeat, quamdiu ibi suspensa manet.
Plinius refert: Herb. betonic, & adianth. aur. hominem à
veneficiis præservare.

**Utilis Aqua contra fascinationem
ex Joh. Popp. p. 608.**

R. hb. & fl. hyperic. mors. diabol. c. rad. artimis. rut.
fol. querc. polytrich. Contunde omnia ad succulentiam
usq; Destilletur aqua & bibatur. Alii hac aqua cum co-
rall. rubr. præparat. utuntur: Vel iis omnibus incisus &
contusis atq; instar Cataplasomatis loco dolenti impositis,
sæpe intra 24. horas dolor sedatus fuit.

Aliud ex Popp. p. 209.

R. hyperic. artemis. rut. vinc. pervinc. chelidon. capill.
vener. l. polytrich. mors. diabol. fol. querc. antirrhin. as.
foetid. an. Omnibus conqvasatis & mixtis destilletur Aqua.
Bibatur pro lubitu. Probatum experimentum est.

Alii commendant Sal chelidon. & hiperic. alternatim
tertia die semel usurpandum cum aqua rut. vel mors. dia-
boli.

Specifica contra Fascinationem

hæc sunt:

l. Hy-

1. Hyperic.
2. lunar.
3. vinc. pervine.
4. artemis.
5. antirrhin.
6. adianth. aur.
7. chelidon.
8. capilli vener.
9. mors. diabol.
10. verbenac.
11. visc. corylin.
12. fol. querc. l. visc. quercin.
13. serpill.
14. origan.
15. fl. stœchad. citrin.
16. cichor. &c.

Vires: Amuletum vel Balneum ex illis conficitur.

§. VII.

De PHILTRIS.

Eò usq; proh dolor! adud non paucos utriusq; sexus homines deventum est, ut pro excitanda lasciva cupidinis flamma blanditiis & irritamentis variis pudicitia turpes struant insidias. Et nisi his illa qveari se patiantur, planè Philtris utuntur, reciprocum amati subjecti amorem conciliaturi. Denotat equidem aliàs Philtri vox quibusdam autoribus omnem excitatum amorem inter foeminam & ma-

& marem. Ast ego neglecta hac acceptione, sub Philtri titulo tantum intelligo amorem per incantationes, & carmina magica, vel per potum aut mendicationem, vel saltem per affricum quarundam rerum conciliatum.

Qualia sint illa Carmina & incantationes, l. etiam res, quibus pro philtris utuntur; nolim, à me expectes: ut enim vehementer detestor diabolicas has artes, ita nec recensionem, scandali accipiendi ansam dabo. Quodsi tamen curiositatis gratia quis talia scire aveat, ille evolvat Cornel. Agrip. de Philos. occult. Scriptum lib. I. c. 40. & seq. Reperiet ibi omnem ex priscis æquè ac sui ævi autoribus collectum Philtrorum apparatus.

Circa effectum s. operationem philtrorum hoc solum monendum est, non semper illa in amorem conjicere desideratum Individuum, sed quandoq; loco ejus Melancholiam, Delirium, a perfectam Maniam c. Cardialigia, summaq; præcordiorum anxietate &c. excitari.

Signa Philtri non adè sunt in aprico, tantum enim abest, infano qui vexantur amore, semper ex philtro illum contraxerint, quin Sæpius ex aliis, Solaq; haud raro imaginatione hoc Malum originem sumat, ita ut nec ipsis ægris, sed per potum ejusmodi incantationes affirmantibus, fides tutò adhibeatur nisi certis documentis conet, ipsos consortio hujus farinae hominum utentes, ex tempore vesano amore correptos malè se habere cœpisse.

Causa immediata est idea nunc svavis spiritibus impressa in Amore vesano, tritis in Melancholia &c. Illa idea sive sit ex sola imaginatione, sive mediatè per herbas, lapides aut alia sit communicata, utrinq; tamen, juxta
meam

meam acceptionem vocis Philtri, dæmonis fallaces latitant artes, postquam rebus illicitis opera navatur.

In Cura respicienda est partim causa morbi remota, partim proxima.

Remota causa respicitur, quando Philtrum propinatum adhuc in ventriculo hærens, inibiq; molestias insignes creans, per vomitorium exhibitum rejicitur. Perinde autem hîc erit, si mercurio vit. id præstiteris, de quo Lang. in Miscell. habet experimentum; s. infusione croci metall. ex Ruland. consilio; l. ex vitriolo secundum Fabr. s. ex auro vit. Kegleri, confer Sennert. Instit. l. 3. sect. 3. p. 4. s. urina eqvina calida ad imitationem Salmuth. s. aliis. Omnes enim prorsus idem effectus sequetur.

Quod causam proximam attinet, adest l. idea svavis l. tristis &c. In hoc casu igitur tentari persuasiones, monita & adhortationes, vel alia objecta amabilia offerri, l. corpus laboribus, Spiritus verò magis seriis occupationibus, obrui debent. Hæcque remedia potissimum locum habent in imaginario Philtro: secus propterea procedendum in vero, ubi vomitoria cum purgantibus, diaphoreticis ac diureticis imploranda, sicut per illa spiritus turbentur, & præternaturalis idea excutitur.

Clausula.

Hæc Memorabilia cum redoleant sæpe evolutionem naturalem, Physicum quoq; ex parte secutus sum. Ea autem mente scripta sunt, juxta sensualem apprehensionem, in quantum scilicet à Christiano reprobari non possunt.

D

sunt.

sunt. Illis, qui mancipia sui corporis sunt, minimè pateant. Deus avertat omnem rei veneræ usum illicitum atq; abusum! Lubens præterea agnosco Vanitatem Scientiarum profanarum, phænomenis saltim contentus. Ignosce ergo dilectissime Proxime, si nec omnes loqvendi formulæ in his Memorabilibus ad veri Christiani mentem quadrent. Vale & ignosce.

S. D. G.





Sequitur
APOLOGIA

De

Funestissima Somnolentia per triginta horas inextinguibili, qua matruelis mei, Martini Seideli uxor d. 30. Decembr. Anno 1693. ad plures abiit, culpa sceleratissimi pharmacopolæ nostri famuli (des Gefellen) ob sequentem à me præscriptam Formulam, sed pessime præparatam.

Rec. Δ solan.
 philon. persic.
 theriac. Androm.
 mann.
 op cydon. gr. j.
 M.

Quæ placidè in Christo obdormuit, laborabat morbo Castrensi S. Hungarico. Nomen hoc affectus ille ideo gerit, quòd potissimum castra sequentibus exitiosus sit, ad eòq; morbi militaris, der Soldaten Kranckheit, titulo venit. Hungaricus autem appellatur morbus, quoniam in expeditionibus contra turcas ut plurimum miles noster in Hungaria ponens territoria experitur hanc febrem.

Febris est maligna & ardentissima simul, utriusque enim Symptomata in illa occurrunt, prout ex historia e-

(*)

jus

jus elucescit. Adest namq; primò Æstus insignis, imo tantus, qvi sitim non modò excitat intolerabilem, sed lingvam insuper ligni adinstar adusti aridam, asperam, atq; nigram reddit. Præterea Vigilæ continuæ, vel somnus profundior cum Cephalalgia exquisitissima Delirioq; conjuncta, & tandem Petechiæ cum tota malignorum phalange quandoque superveniunt. Sicuti vero non uniformis in omnibus subjectis apparet hic morbus; ita pro symptomatum maximè urgentium differentia variis germanicè vocatur nominibus, h.e. nunc die Bräune, si lingvæ nigredo ac asperitas conjuncta sit; nunc die Hauptkranckheit, si cephalalgia ac delirium in primis urgeant: nunc das hitzige Fleck-Fieber, si exanthemata erumpant.

Epidemius hic morbus est. Non enim solum tota castra pervadit sed & longè extra limites eorum cum milite vagatur atq; disseminatur, sic ut integræ regiones cum civitatibus ac pagis ejus tyrannidem sæpius experiantur. Quàm truculentus etiam sit, plures testantur, qvi paucos intra dies eo correpti succumbunt.

Causam hujus mali diu peculiarem crediderunt malignitatem, in sangvinis primum massa, postea in Corde ipso accensam, vel ex humorum putredine aut aëris infectione nec non communi diætæ errore ortum sumentem.

In Cura contra hanc Febrem alexipharmaca, i. talia in usum vocantur, quæ vim habent, spirituum exæstuationem pacandi, nec non meticulosam ac desperabundam Ideam excutiendi.

Ego pariter eo judicio morbo mederi cupiens, præscripsi supra dictam Potionem alexipharmacam, & anodynam

nam æstu, inflammatione colli, dolore capitis in totum fe-
re sedatis, excepta Agrypnia s. pervigilio. Delirium & exan-
themata non aderant. Quin imò jam piæ memoriæ nomi-
nata, ante usum hujus medicaminis circa meridiem clara
voce distincta cecinit: Nun bitten vvir den heiligen Geist &c.
Post vesperi sumpta potione ita se habebat, acsi venenum
accepisset: incidebat in Somnolentiam, qua detenta, nulla-
tenus excitari poterat, expergefactaq; absq; mora iterum
obdormiebat, prout solet fieri in tali casu. Aliqvot gut-
tulæ potionis in vitro remanserant, illas matruelis meus de-
gustans, se in gyrum quasi circumacta cernere omnia, san-
ctè testabatur. Cœterum ejus ancilla, per quam formu-
lam ad pharmacopolam mihi sua sponte profligatissimi fa-
mulum fraudulentiam nobis aperuit: illum scilicet primum
aquam è cella attulisse, deinde duo saltim cum illa miscuisse,
atq; guttulas cœrulei Coloris addidisse, quales & quo fato?
nescio! *Ἐνδίκον ὄμμα ἔχει ὁ Θεός!*

Qualis igitur pœna illi nequam sit irroganda, pertinet
ad Præfectum urbis, qui curam habet, ut omnia justo pretio
vendantur. Justum verò pretium præsupponit debitam rei
vendibilis puritatem, & intrinsecam bonitatem. Quodsi
carnes vitiatæ, & ingenere alimenta depravata vel malè
præparata, Rempublicam labefactare, & eidem damnum
inferre possunt: à minori ad majus aptissimè concludo, id
centuplo magis fieri posse per medicamenta ineptè præpa-
rata, vel cum ex nequitia à pharmacopœis quid pro quo
substituitur. Cum medicamento ope qui morti proximi
existimantur, in vitam revocari debent.

Sed ignosce mi charissime proxime, quod honestam
(**) famam

famam meam, tanquam alterum patrimonium, permisso S. Scripturae ulterius defendam. Audio enim me à tergo infamasti his verbis: die Potion vware zu hitzig. Locutus es contra fundamenta Pathologiae & Therapeuticae. Quoniam à medicamentorum caliditate summa non Somnolentia, sed Delirium quam facillimè excitatur. Inter narcotica & ideas in cerebro confundentia talis est differentia, qualis in noctem & diem intercedit. Argumentor itaq;: aut rem intelligis, aut non intelligis: si intelligis, manifestum fit, quòd ex invidia à tergo contumeliis me affeceris: si non intelligis, dedecus habeas tibi.

Quamvis quidem res ipsa pro me loquatur, liceat tamen & autores super hanc rem allegare. Quomodo igitur inscitiae notam à te declinabis? postquam dixisti: Herr Bader, es ist zu hitzig. Meritò rideris ab Autoribus, qui spirit. vin. camphorat. c. essent. croc. it. theriac. vel mithridat. electuar. d. ov. orvietan. ac camphorarum Kegler. aut mixtur. simpl. Tinctur. bezoart. sal. volat. & fix. pariter ac ol. destillat. commendant. Prae caeteris evolve Lang. experientiss. quondam Medici castrensis lib. 1. epist. 4. Simili modo vapulas à Bartholino, qui potum vini largiorem admodum proficue in Malignis observavit, vid. Cent. 4. obs. 7. Miscel. N.C. Ann. 3. obs. 145. obs. 145. Tantum hac vice significare voluit.

L. Jer. Arnoldi.





Uli 4819


ULB Halle 3
007 393 725



W 117







B.I.G.

Farbkarte #13

33

ARNOLDI,
Medicin. L.

ABILIA

SENTIA
ILI,

m ex Fascinatio-
versione, Venerisq; Exsti-
tione in utroq; Sexu,
Philtris :

της τῆς λόγῃ ἐνανθρω-
C XCIV.
bruario.



MICHAELIS Schwarz.

